



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Gasparis Barzaei Belgae E Societate Iesv: B. Xaverii
In India Socij**

Trigault, Nicolas

Coloniae, 1611

XII. De concionibus Gasparis, & earum fructu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45183

fnis, ita vt illorum zelo propè infinito non deesset plebis & omnium ordinum multitudo: sed præ omnibus indefessus Gasparis in cæteris officijs ac præsertim in concionandi studio, labor, quò me iam vocat ratio instituti.

CAPVT XII.

De concionibus Gasparis & earum fructu.

NON terruit Gasparem infelicioꝝ primæ concionis euētus, sed currentem incitauit: tum enim est visus sibi tutò ad splendidum concionatoris munus accedere posse, ex quo non splendorem, sed obscuritatem esset consecuturus. At verò omninò præter opinionem cecidit. Nam ex seruatoris sententia necesse fuit, eum, qui tot se modis abijceret, ijsdem gradibus attolli. Itaque cœpit ille concionari, sed iam non, vt solebat, timidè, verùm tanta spiritus libertate cum Christiana modestia coniuncta, vt omnibus, qui eum antè nouerant, esset

esset stupori, & facile ex ipsa quoque facundia diuinum aliquid inesse colligerent. Dicebat homo externus Lusitanicè ita eloquenter, ut neque peregrinum aliquem sonum, neque dialectum patriam quisquã auersaretur; quod eo magis mirum est, cum in Lusitania ita loqueretur, ut ne spes quidem discendi aliquãdo affulgeret: sed is, qui linguarum donum Apostolis contulit, hunc Apostolicum planè virum eloquentia Christiana donauerat; quam tamen malo, fructu animorumque permutatione, quàm schematibus tropisque metiri; qua in re rectè sacri nostri Oratores, ut garrulæ antiquitati de verbositate concedant, semper superarunt.

Difficile esset, ac fortassè ne commemorari quidem possent omnia, quæ suis Gaspar pro concione persuasit: peccata, quæ licentia morum publicè grassabantur, iuramenta, odia, fraudes, ita compressa, ut in domicilij latebras ea vitiorum retruferit vniuersa, plurima etiam profri-

scripserit: vnde factū, vt malè par-
torum restitutiones essent quoti-
dianæ, voluntariæ castigationes or-
dinarie, orandi studium in plurimis
iam vulgare. Custodiæ quoque, quæ
ferè facinorosos homines coërcent,
ita ab eo constitutæ, vt fæx populi
labes omnes animi sacra cōfessione
crebrò detergere, Diuos omnes Li-
taniarum quotidiana recitatione
inuocare, honesta fari, abstinere in-
honestis & iuramentis sollemne
haberet. Hæc autem, proposita pec-
canti poena, bene monenti præmio,
duabus nimirum rebus, quibus om-
nis respublica continetur, breui ab
iniquis æqua impetrabat. Neque hic
fructus dumtaxat concionum erat:
tota eius vita, sermonesque & col-
loquia, vtpote pietatem spirantia,
plurimum proficiebant in proxi-
morum salutem. Erat ex ijs, quales
B. P. N. optabat, qui semper ædifi-
cant, destruunt nunquam: ea inquã
morum compositione, vt tantum
esset in factis exempli, atque in di-
ctione doctrinæ.

Ad-

*Quanta
in Gas-
paris
verbis
efficacia.*

Adfuerat die quadam agenti animam viro copioso; ibi cum tanto animi ardore de opum contemptu, quas nemo est, qui non ea hora sæpe ferò contemnat, agere cœpit, ut egredientem vir alius, qui fortè adfuerat, item copiosus insequeretur, iam ita affectus in fortunas suas, ut ipse Gaspar. Nam illius arbitrio cuncta, cum herede careret, duxit permittenda, solamque sibi animæ salutem & veras ex meritis opes conquirendas. Itaque hominem iam vna cum coniuge expiatum pauperum procurationi præficit, eius liberalitate ita usus, ut tamen munificentiam donantis arbitrio permitteret. Atque is bellè suo munere perfunctus paullatim suas opes pauperum & ægrorum manibus deportatas, eò quò ipse quoque aspirabat, præmittebat. Descendentem è pulpito Gasparem ferè comitabantur aliqui, decimas quodammodo nomine concionis oblaturi: etenim ferè vnus aliquis aut plures se ad eius pedes abiciebant, ea dicturi aut facturi, quæ

quæ dicente Gaspare Dominus inspirarat.

Ita quidam diuinitus permotus ad Gasparis infimis precibus ad se vocati genua se prosternit: En, in-
 quiens, fortunæ meæ tot aureorum millia, domus, naues, mancipia, denique & animam meam, omnia tuo arbitrio permitto, vt hæc quibuscūque tandem modis salua sit: opes restituantur, & mihi pereant, ne ego mihi; corpus hoc crucietur, & luat, tantum animæ saluti consulatur. v-
 re, seca, nullum medendi genus quātumuis asperum reformido, dum in æternum parcatur. Alius quidā propè similis hæc etiam addidit, cupere se animum ad peccatorum purgationem amaro aliquo Pœnitentiæ pharmaco præparare: quod ille à Gaspare propinatum non exhau-
 sit modò, sed tantum de suo addidit, vt modus præscribendus esset à medico, metuente, ne quod saluti esse debebat, in perniciem immoderatè sumptum verteretur. Sed admirabilior alterius cuiusdā motus,

*Egregia
 peccato-
 ris ad
 Deū con-
 uersio.*

tus, atq; eo maior, quòd subitò hæc vitæ Christianæ rudimenta, quæ in vitiorum extirpatione versantur, discendi studio transfiliens ad ipsum statim fastigium aspirarit. Erat is, vt stirpe nobilis, ita etiam animo generosus, & audierat fortè Gasparè de diuino in mortales amore differentem, cum mox tantum eius animus è sermone Gasparis inflammato caritatis concepit incendium, vt eo iam æstuans ad Gasparem venerit percontaturus, quantum Deus mortali amare cupienti de amore largiretur: cui cùm è sacris litteris Magdalenas, Petros, & id genus amoris prodigia commemorasset, ea quæ ad hunc amorem faciunt, quærere & exequi, vir connubij legibus illigatus omni ope decernit, nec sua salute contentus, idem à familia sua contendebat, quæ exemplum heri secuta, apud Gasparem omnis vitæ antea actæ peccata deposuit: ipse verò vix à quibusdam publicis Christianæ demissionis officijs, quæ ab hominis dignitate aliena erant, v-
nius

nus Gasparis auctoritate continebatur, cum diceret, ad amorem Dei obtinendum parum etiam esse, si homo in res hominum iudicio indecoras feratur, ac de mentis statu deturbatus iudicetur. Hæc & id genus alia Ecclesiastem nostrum magno animi sui gaudio consequebantur: quæ quidem tanta erant, ut referri omnia, etiam ipso teste, non possint sigillatim. Ac ne quis fortassis humanæ industriæ plus æquo tribuēs, hæc admiranda concionum effecta diuturnæ comparationi Gasparis arroget, operæ pretium est videre, quàm frequens ac pænè totus fuerit in concionando. Hebdomadis singulis solemne illi erat quinies aut sexies concionari, sæpè etiam sæpius; & aliquando pænè toti succedentibus sibi mutuo diuersis concionibus abibant dies: in templis varijs, in custodijs, quin etiã ad ipsam nobilitatem in Proregis palatio submensam; ex quo magnus fructus sequebatur. Accedebant his propè perpetuæ poenitentium confessio-

D

nes,

74 VITAE GASP. BARZAE I
nes, consulentium de conscientia
quæstiones, agrorum in nosoco-
mijs visitationes, & aliæ propè in-
numeræ occupationes, mirum vt
fuerit, vnum hominem rebus ita va-
rijs suffecisse. Sed profectò mirum
est, quantum possit, adiutore Deo,
vel vnus virtus & industria, qui se
diuinæ gratiæ blandiente corpus-
culo non subducit.

CAPVT XIII.

*Primarij cuiusdam Brachmanis
conuersio.*

QVAE hætenus commemora-
ta sunt, cum Lusitanis aut ne-
ophytis Christianis ageban-
tur: sed vt etiam de Gentilibus bene-
mereretur, opportunitatem Domi-
nus hanc suppeditauit. In carcere,
vt dixi, frequens erat Gaspar, & ad
captiuos verba faciebat, in quibus
vnus è Brachmanum primoribus,
Locu dictus, tum fortè numeraba-
tur, tanti apud suos nominis, vt in-
ter Principes sectæ censeretur. Gas-
parem ille clam ad Christianos di-
centem